

«DOCTRINAE» INSTITUTUM APUD LEGES DE INDIIS

SUMMARIUM: 1. Motivum articuli. 2. «Doctrinae» notiones generales. 3. Doctrinae notio specifica. 4. Doctrinae obligatio. 5. Doctrinae officium, limites et bona. 6. Doctrinae creatio et provisio. 7. Doctrinae officii vacatio, competentia et locus. 8. Doctrinarii obligationes et privilegia. 9. Doctrina verum officium ecclesiasticum. 10. Doctrina ex commissione et ex facultate. Mensualitas regia. 11. Appendix de nomocanonibus et de indorum protectione. Conclusio.

1. *Motivum*: Quintum centenarium evangelizationis Americae movet nos ad pervestiganda aliqua instituta quae, sua natura, evangelizationi opem dederunt. Inter haec instituta mihi videtur magnum et praecipuum momentum habuisse «Doctrinae» institutum, sic dictum quia ad docendam doctrinam christianam fuit ordinatum. Huius instituti studium plurimum iuvat ad decernendam christianam imperii regum Hispaniae naturam, inquisitione in deterius iudicatam.

Notandum est «Recollectionis S. Augustini» fundatorem in novo regno Granatensi «Doctrinarium» fuisse. Hoc asseritur de MATTHAEO DELGADO, anno 1594 degente in provincia tunquensi, nationis Colombia¹.

2. «*Doctrinae*» notiones generales: Sub «Doctrinae» nomine designatur doctrinae catholicae institu-

¹ AYAPE, E., *Fundaciones y Noticias*, Bogotá, 1 (1950) IV.

tio, quae inter cetera comprehendebat docendi veritates catholicas obligationem, sacrum litandi et audiendi diebus dominicis et festis, a vitiis et idolis, ab inclinationibus non rectis conatum avertendi, etc. Finis «Doctrinae» praecipuus erat animarum salus per Dei et regis servitium, praeterquam libertatis et indorum iustitiae defensionem. Certo certius «Doctrinae» obligatio erat omnibus archiepiscopis, episcopis et parochis.

Sed «Doctrina» stricte vocatum est novum institutum stabilitum ad catholicam indorum instructionem, quando a paroecia vel ab alio centro huic simili longe erant. «Doctrina» fungentes «doctrinarii» vocabantur².

«Doctrinae» limites territoriales et personales ab episcopis vel archiepiscopis definiebantur, sed sub legum indiarum lumine et mandato³. «Doctrina» decimis sustentabatur, sed horum insufficientia aut defectus pecunia regia supplebatur. Erat verum officium, stabilitate, fine spiritali et bonis dotatum atque canonicè collatum. Eius assecutio praevisum idoneitatis examen requirebat, ab examinadoribus sic dictis synodalibus factum⁴.

² Lingua hispana Doctrineros.

³ «Ex antiquo iure, archiepiscopi atque episcopi proveci in ecclesias apud indios, priusquam praesentationis litterae aut executoriales eis traderentur faciant iuramentum, contentum in hac nostra lege, coram notario publico ac testes, non contravenire patronatum regium, nec impedire, nec obstare regiae iurisdictionis exercitium et nostrum iurium et reddituum regalium exigentiam, non exceptis duobus novenis ex decimorum media quantitate desumptis» LEYES DE INDIAS, Madrid, 1774 3 ed., lex I, titulus I, liber I. In posterum citantur lex, titulus, liber.

⁴ Erant sex examinadores a Synodo dioecesana nominati, unde Synodales vocabantur. Ex more, per ternas ad casum

3. «*Doctrinae*» *notio specifica*: Quid erat «*Doctrina*», dominationis hispanicae tempore, in insulis Philippinis et in terris Americae inventis anno 1492? «*Doctrina*» erat officium obligans ad veritatum fidei catholicae complexum tradendum sub regis Hispaniae imperio. Conscientiam habebat rex se esse patronum omnium ecclesiarum cathedralium, metropolitanearum, collegialium, abbatialium, etc.⁵, ut indi in fide catholica docerentur, ut decebat⁶. Rex Hispaniae seipsum considerabat magis obligatus in Dei gloriam et omnium salvationem procurandam quam omnes alii principes.⁷

Huius conscientiae regiae radix in doctrinam christianam propagandam ex bulla pontificia oriebatur, qua Pontifex ALEXANDER VI, in virtute sanctae obedientiae regi praecepit ad terras firmas mittere viros probos ac Deum timentes, doctos et ad instruendos incolas et habitatores in fide catholica peritos⁸.

designabantur, cfr. CONCILIUM TRIDENTINUM, sessio XXIV, de Reformatione, capite XVIII.

⁵ CONC. TRIDENTINUM, c. XII, sessio XIV, de reformatione: «Nemo ... nisi ecclesiam, beneficium aut capellam de novo fundaverit, et construxerit, seu iam erectam, quae tamen sine sufficienti dote fuerit de suis propriis et patrimonialibus bonis competenter dotaverit, ius patronatus impetrare, aut obtinere possit aut debeat».

⁶ Lex I, tit. II, l. I (cf. nt. 3).

⁷ «Nosmetipsos considerantes aliis principibus obligatiores in eius servitutum et sui sancti Nominis gloriam procurandam, et ad omnes dominium acceptum adhibendum ut in toto orbe notus et adoratus sit tamquam verus Deus, uti est, et omnium visibilium et invisibilium Creator. In desiderio habentes Domini et Dei nostri gloriam, laetanter trahere consecuti sumus in Sanctae Ecclesiae Catholicae Romanae gremium innumerabiles gentes et nationes, quae Indias Occidentales habitant» (Lex I, tit. I, l. I).

⁸ Cfr. BULLA «Inter Coetera», a. 7, apud MAGNUM BULLARIUM ROMANUM, Lugduni I, 1655, 467.

Praeceptum hoc consequentia est attributionis omnimodae regi et eius haeredibus ac sucesoribus terrarum inventarum cum omnibus illarum dominiis, civitatibus, castris, locis, iuribusque ac iurisdictionibus et pertinentiis universis. Cum plena, libera et omnimoda potestate, auctoritate et iurisdictione donationem fecit, constituit ac deputavit Summus Pontifex⁹.

Ne forte privilegia regia novis bullis vel legibus impeterentur, rex omnium bullarum auditoriam seu fiscalizationem ordinavit¹⁰. Placitum executionis dabat rex bullis praeiudicium non facientibus patronatui regio, iuri, gratiis apostolicis et regni moribus¹¹. Unde opus erat regesto bullarum atque brevium apostolicorum in quo constaret de horum documentorum receptione¹². Etiam conciliorum provincialium et regionalium acta mitti debebant ad Indiarum Consilium, priusquam typis ederentur¹³.

4. «*Doctrinae*» obligatio: Docendi religionem catholicam obligatio modo generali incumberebat omnibus animarum curam habentibus, sub regis vigilantia, tam archiepiscopis, quam episcopis, parochis, aliisque doctrinae ministros, vel etiam sacerdotibus¹⁴. Eadem lege providendi religioni catholicae docendae obstringebantur sic dicti Commendatarii¹⁵. Consilii

⁹ Bulla «Inter Coetera», a. 6.

¹⁰ Lex II, tit. III, l. IV.

¹¹ Leges I et VIII, tit. IX, l. I.

¹² Lex V, tit. IX, l. I.

¹³ Lex VI, tit. VIII, l. I.

¹⁴ Lex III, tit. I, l. I; lex III, tit. III, l. VI.

¹⁵ «Encomenderos», lex II, tit. IX, l. VI: Hi erant personae, quibus terrae cum indis commendabantur. Accipiebant decimas, cum obligatione nativos reducere in vicos vel pagos ad regis servitium et ad doctrinam catholicam propagandam. Commendationum lex ... exigebat has dari ita ut doctrinae instituerentur et Commendatarios sustentare possent (lex XXIV, tit. VIII, l. VI).

Indiarum praecipua cura erat indorum conversio et ad hanc obtinendam ministrorum sufficientium provisio¹⁶.

Commendatio¹⁷ erat officium amovibile ad nutum praesentantis regis nomine¹⁸. Commendatarii negligentes a commendationis fructibus privabantur. «Doctrinam» impediens a Provincia in exilium pellebantur¹⁹. Episcopi hac minatione indirecte onerati erant, ita ut horum obligationem non exigentes puniebantur officii amissione atque gravissima pecuniaria mulcta²⁰.

5. «*Doctrinae*» officium, limites et bona: Praeter organizationis terrarum inventarum finalitatem praecipuam et praelatorum atque Commendatariorum obligationem, id est, regi submissionem atque doctrinae catholicae propagationem, novum officium ecclesiasticum nascebatur, sub regis praecepto, nempe «*Doctrinae*» officium.

«*Doctrina*» limites territoriales et docendorum numerus a praelatis erant determinandi. Iuxta terrae

Simili ratione dabantur repartitiones (repartimientos) ad docendam doctrinam christianam et ministranda sacramenta, servato patronatu regio (lex I, tit. VIII, l. VI). In textilium fabricis et sachari operibus, ex praelati decisione doctrina instituenda erat sub dominorum et Commendatariorum onere (lex XI, tit. I, l. I). Curare debebant bonum materiale atque spiritale cum articulo- rum et praeceptorum fidei catholicae instructione (lex I, tit. IX, l. VI).

¹⁶ Lex VIII, tit. II, l. II.

¹⁷ Encomienda, lingua hispana.

¹⁸ Lex XXXVIII, tit. VI, l. I.

¹⁹ Lex III, tit. IX, l. VI.

²⁰ Lex XIII, tit. III, l. I; lex XLV, tit. VI, l. I; lex I, tit. VII, l. I; lex III, tit. IX, l. I. Haec poena valde gravis erat, aequivalens duplici pensioni annuae «*Doctrinario*» assignatae (lex XXI, tit. XIII, l. I).

dispositionem augeri poterant aut minui. «Doctrina» dividi, cum alia uniri aut supprimi poterat²¹. Generaliter indi plus quam quatuor centum esse in uno loco non permittebantur²², Nec minus quam ducenti²³.

Bona, quibus «Doctrina» sustinebatur, erant contributiones *fixae*, deductae sive ex decimis²⁴, sive ex redditibus vel tributis Commendationis in doctrinam destinatis²⁵. Ex norma, plus minusve quarta tributorum Commendationis pars in doctrinam ordinabatur²⁶.

6. «*Doctrinae creatio et provisio*: Doctrinae officium instituendum erat ubi non esset paroecia, in Commendationibus²⁷, et repartitionibus²⁸. Praelatus

²¹ Lex XL, tit. XVI, l. VI.

²² Lex XLVI, tit. VI, l. I; lex XXVI, tit. XIII, l. I.

²³ Lex LXV, tit. XVI, l. VI.

²⁴ Lex XXII, tit. XVI, l. I: Ex decimorum summa sumebatur quarta pars pro episcopo, altera pro ecclesiae cathedralis capitulo, et alia media pars in novem partes dividebatur sic distribuendas: duae pro rege, tres pro Ecclesiae atque hospitalis fabrica et quatuor pro «Doctrinae» ministro. Quod ex hac partitione forte supererit iuxta erectionis dispositionem destinabatur (lex XXIII, tit. XVI, l. I). Summa episcopo esse debebat ad minus 500.000 teruntiorum (hispanice maravedís) per annum solvenda, per tertias anni partes semel transactas. Item pensio pro doctrinae ministro esse debebat ad minus 50.000 terentiorum, et pro laico sacerdote iuvante (sacristán) 25.000 (lex XXI, tit. XIII, l. I), solvendorum similiter ac pro episcopis (lex XIV, tit. XI, l. I).

²⁵ Lex XXIV, tit. VIII, l. VI; lex V, tit. III, l. XVI; lex XLVI, tit. VI, l. I.

²⁶ Lex XIV, tit. XIII, l. I. Nationis Chile nativi tributabant octo pondera (pesos), valentia octo regalia unumquodque. Quinque pondera et dimidia pars erant Commendatorio; una et dimidia «Doctrinario»; media pars Correctori (corregidor) et altera media indorum protectori (lex XV, tit. XVI, l. VI).

²⁷ Lex XXIV, tit. VIII, l. VI.

²⁸ Lex I, tit. VIII, l. VI.

ecclesiasticus vel religiosus²⁹ designabat candidatorum terna nomina, ex quibus vicem regis habens unum eligebat et praelato dioecesano³⁰ praesentabat³¹, ut hic canonice officium conferret³².

In «Doctrinae» officium candidatus debebat esse bonis moribus instructus³³, non consanguineus Commendatarii³⁴, gaudens licentia sui Ordinis vel motu proprio, et etiam praelati dioecesani etsi electus esset religiosus³⁵, lingua indorum peritus³⁶, in terris inventis praesens regis licentia³⁷. Praeferebantur qui doctrinam prius docuissent³⁸ et indis inservissent³⁹, religiosi⁴⁰ et seminarii collegiales⁴¹. Submittendus erat

²⁹ Lex XXXV, tit. VI, l. I: religiosus opus erat episcopi licentia ad beneficiis aut «Doctrinis» inserviendum.

³⁰ Praetera Superiores religiosi Ordinariis locorum postulantis personas ad «Doctrinas», obtemperare debebant absque excusatione aut impedimento (lex XV, tit. XV, l. I).

³¹ Lex XLIX, tit. VI, l. I: auctoritati regiae pertinebat praesentatio in doctrinam, ex patronatu regio, concessionibus apostolicis et more inmemorabili, erga omnes etiam religiosos.

³² Lex L, tit. VI, l. I.

³³ Leges XII et XXX, tit. VII, l. I.

³⁴ Lex XXXIII, tit. V, l. I.

³⁵ Lex XXXV, tit. VI, l. I.

³⁶ Leges XXX et XLIV, tit. VII, l. I.

³⁷ Lex VIII, tit. VII, l. I. In Bulla «Inter coetera», a. 8 dicitur: ... «quibuscumque personis, cuiuscumque dignitatis, etiam imperialis et regalis, status, gradus, ordinis vel conditionis sub excommunicationis latae sententiae poena... districtius inhibemus ne ad insulas et terras firmas ... accedere praesumant absque vestra ac haeredum et successorum vestrorum praedictorum licentia speciali».

³⁸ Lex V, tit. I, l. I.

³⁹ Lex XV, tit. XXXIII, l. II.

⁴⁰ Leges XXXII-XXXIII, tit. XV, l. I.

⁴¹ Lex VI, tit. XXIII, l. I.

legibus synodalibus quoad examen⁴² in provisionem⁴³ et quoad officii visitationem⁴⁴. Aliquando dabatur praesentationis vel propositionis ternorum nominum dispensatio ex candidatorum penuria. Tunc proponebatur qui aptior praelato videretur, acceptandus a regis vicem agente, qui iterum episcopo praesentabat ut hic provisionem canonicam daret⁴⁵.

A «*Doctrinae*» officio prohibebatur absentia, pecuniae mulcta punita, secundum absentiae dies⁴⁶. Non dabatur temporis terminus in officii possessione.

7. «*Doctrinae*» officii vacatio, *competentia et locus*: Realis officii vacatio vetabatur⁴⁷. Unde dabatur «*doctrinae*» exercitium in temporali officii vacatione⁴⁸. Mandatum habebat episcopus ut interim nominaret suscepturum «*Doctrinae*» ministerium⁴⁹, quoad usque canonice provideretur, intra quatuor vacationis menses⁵⁰. Praelato religioso iungebatur obligatio deputandi in «*Doctrinam*» aliquem religio-

⁴² Lex XXXVII, tit. VI, l. I: examinatores, Sede Vacante, a rege nominabantur.

⁴³ Lex VIII, tit. IX, l. I.

⁴⁴ Leges XXVIII, XXIX et XXXI, tit. XV, l. I. In lege XXIX determinatur visitationis materia, nempe: Sacramentorum administratio, templum, Sanctissimum Sacramentum, Sancta Olea et Chrisma, vestes sacrae, libri administrationis confraternitatum-elemosynarum-baptismi et matrimonii.

⁴⁵ Tres ergo gressus dabantur: primo, ternorum nominum propositio vicem regis agenti, vel ab hoc ternorum nominum dispensatio; secundo, electio unius ex ternis nominibus vel aptioris propositi acceptatio; tertio, electi vel acceptati praesentatio episcopo a vicem regis agente, ut provisio canonica fieret.

⁴⁶ Lex XVI, tit. XV, l. I.

⁴⁷ Lex XI, tit. XV, l. I.

⁴⁸ Lex XVI, tit. XIII, l. I.

⁴⁹ Lex XVI, tit. XIII, l. I.

⁵⁰ Lex XVI, tit. XIII, l. I.

sum, priusquam officii possessor abfuerit⁵¹. Secus candidatum ad interim praesentabat episcopus⁵². Officii vacatio protrahi non poterat ultra quartum mensem⁵³. Interim id exercens pensionem accipiebat a depositario regali⁵⁴, laboris tempori proportionatam. Electus in officium sequi debebat omnes gressus iuxta Indiarum leges.

Doctrinariii religiosi remotio notificari debebat praelato dioecesano et vicem regis agentis, sicut et remotionis causa⁵⁵. Ipsi iudicabant de causae legitimitate pro religiosi remotione⁵⁶. Tamen Superiori satis erat asserere religiosum Doctrinarium non inservire nec Deo, nec regi⁵⁷. Removeri poterat doctrinarius ex communi praelati consilio patronatum regalem habente⁵⁸. Removendi erant ac uniendi malum exemplum praebentes⁵⁹. Aliquando ex necessitate vel superioris negligentia, vicem regis agentes provisionem et remotionem facere poterant⁶⁰. Ob malum tractandi modum in «Doctrina», vel etiam ob alias causas, officium transferebatur ab una religione in aliam, ex consensu vicem regis agentis cum episcopo. Si non erat consensus ipse rex decernebat⁶¹.

Impediebatur contentio in «Doctrinae» officium,

⁵¹ Leges XVII et XXVIII, tit. XV, l. I.

⁵² Lex XI, tit. XV, l. I.

⁵³ Lex XLVIII, tit. VI, l. I.

⁵⁴ Lex XV, tit. XIII, l. I, vel a Correctoribus (hispanice: corregidores) lex XVII, ib.

⁵⁵ Lex IX, tit. XV, l. I.

⁵⁶ Lex X, tit. XV, l. I.

⁵⁷ Lex XXVIII, tit. XV, l. I; lex V, tit. XVII, l. I.

⁵⁸ Lex XXXVIII, tit. VI, l. I; lex XXXIX, ib.

⁵⁹ Lex XII et XLIV, tit. VII, l. I.

⁶⁰ Lex XXVIII, tit. XV, l. I.

⁶¹ Lex VIII, tit. XV, l. I.

ita ut non posset esse religiosus Doctrinarius in loco ubi erat clericus⁶², et vicissim⁶³, nec adesse poterat communitas religiosa alia ac propria religiosi in actu «Doctrinam» exercentis⁶⁴.

Communitas a «Doctrinae» officio privata amittebat domum, quae in paroeciae beneficium tradebatur⁶⁵. In «Doctrinae» officio attendi poterant hispani⁶⁶, servi, nigri atque subnigri⁶⁷, laborantes in metallis⁶⁸.

«Doctrinae» locus erat vel ecclesia⁶⁹, vel monasterium⁷⁰.

8. «*Doctrinarii obligationes et privilegia*: 1°. Docere Christi doctrinam etiam per interpretem⁷¹; 2°. Destruere idola, aras et horum oratoria⁷²; 3°. Indos separare ab idolorum sacerdotibus⁷³, 4°. Longe facere et in conventibus recludere indos idolorum dogmata docentes⁷⁴; 5°. Iuvare ad eos in pagos reducendos⁷⁵;

⁶² Lex II, tit. XIII, l. I.

⁶³ Lex I, tit. XIII, l. I.

⁶⁴ Leges XXXII et XXXIII, tit. VI, l. I. Praeter ordines mendicantes, Membra S.J. Doctrinarii esse poterant (lex XXVII, tit. XV, l. I).

⁶⁵ Lex XXVI, tit. XV, l. I.

⁶⁶ Lex XVIII, tit. XV, l. I.

⁶⁷ Lex XIII, tit. I, l. I.

⁶⁸ Lex X, tit. XV, l. VI.

⁶⁹ Construebatur aliquoties expensis regalibus. Sustinebatur decimis quae ex concessionibus apostolicis regi pertinebant. A die 28 Decembris anni 1552 ecclesia construenda erat per tertias expensae partes a rege, ab indis et a Commendatariis (lex II, tit. IX, l. VI).

⁷⁰ Lex XIII, tit. I, l. I.

⁷¹ Lex I, tit. I, l. II.

⁷² Lex VII, tit. I, l. I.

⁷³ Lex VIII, tit. I, l. I.

⁷⁴ Lex IX, tit. I, l. I.

⁷⁵ Lex II, tit. III, l. VI.

6°. Carnis humanae esum prohibere⁷⁶; contribuere in collegia seminaria pro indis⁷⁷; 8°. Docere linguam hispanicam⁷⁸ et scholas et facultates in hunc finem aedificare⁷⁹; 9°. In ecclesiis ponere Sanctissimam Eucharistiam et hanc distribuere⁸⁰; 10°. Sacrum litare⁸¹; in praxim deducere concilia, mores legitimos et vectigalia⁸²; 12°. Non facere expensas ex indorum capsis⁸³; 13° Ubi erant animarum curam habentes, religiosi non poterant nec baptizare, nec matrimoniis assistere, nec curam animarum habere⁸⁴; 14°. Indos ad vestes induendos exhortare⁸⁵; 15°. Auctoritates monere de bona indorum manuductione⁸⁶ et de eorum libertate⁸⁷; 16°. Indorum Commendationem assumere non poterant⁸⁸; 17°. Religiosi vivere debebant tres aut quatuor simul⁸⁹; 18°. Insuper «Doctrinarii»

⁷⁶ Lex VII, tit. I, l. II.

⁷⁷ Lex XXXV, tit. XV, l. I: quantitas pro seminario erant tres partes per centum, sumendae a doctrinariis, etiam religiosi, pensione (lex VII, tit. XXIII, l. I).

⁷⁸ Lex V, tit. XIII, l. I.

⁷⁹ Lex XVIII, tit. I, l. VI; leges XLVI et XLIX, tit. XXII, l. I.

⁸⁰ Leges XIX et XX, tit. XV, l. I.

⁸¹ Lex XIII, tit. I, l. I: Doctrinae alumni ius missam audiendi habebant sub multa duo centum millia tarentiorum in hoc ius impediennes.

⁸² Lex X, tit. XVIII, l. I.

⁸³ Lex XVI, tit. IV, l. VI. In hanc capsam, praeter bonorum communium ingressus, mittebatur etiam quarta tributorum pars, ante institutionem doctrinae in commendationibus (lex XIV, tit. XIII, l. I).

⁸⁴ Lex LXXVIII, tit. XIV, l. I.

⁸⁵ Lex XXI, tit. I, l. VI.

⁸⁶ Lex VII, tit. X, l. VI. Erat poena in indis abutentes (lex LIV, tit. XVI, l. II).

⁸⁷ Lex XIV, tit. VI, l. VI.

⁸⁸ Lex XII, tit. VIII, l. II ad vitandos abusos.

⁸⁹ Lex XIX, tit. XV, l. I.

non poterant concertare negotia, nec laboris contractum cum indis facere⁹⁰.

Doctrinarii privilegia aliqua: Ab ipsis exigere non poterant episcopi nec funeris⁹¹, nec salarii, nec piarum operum quartam partem⁹². Mendicantes liberi erant a solutione pecuniae pro praesentatione in officium⁹³.

9. «*Doctrina*» verum officium ecclesiasticum: Dabatur officium spiritale ad animarum salutem, stabile, ab ecclesia provisum, bonis materialibus donatum.

«*Doctrina*» nunc temporis erat officium spiritale. Habebat ut finem salvationem animarum cum omnibus auxiliis ad hanc requisitis: doctrinae christianae praedicationem, moralitatis promotionem, sacramentorum ministrationem, sacri celebrationem, etc.

«*Doctrinae*» officium gaudebat stabilitate: vebatur et ministerii et officii vacatio. «*Doctrinae*» ministratio semper dari debebat in titularium absentia. Officium, ut iam diximus, post quartum mensem vacare non poterat. Praelati obligationem habebant terna nomina regi proponenda. Secus rex aut vicem regis agens in casu decidebat. Sed non poterat «*Doctrinae*» ministerium suspensum esse. Ante vacationem praelatus aliquem nominare debebat ut interim «*Doctrinam*» exerceret.

Erat provisio canonica, etsi praelatus regi aut vicem regis habenti candidatorum terna nomina proponere tenebatur ut unus a rege eligeretur et ab ipso

⁹⁰ Lex XXIII, tit. XIII, l. I.

⁹¹ Lex XV, tit. VII, l. I; lex XIII, tit. XIII, ib.; lex VII, tit. XVIII, ib.

⁹² Lex XVI, tit. VII, l. I; lex VI, tit. XVIII, ib.; cfr. notas 38 et 39.

⁹³ Lex XXIII, tit. XV, l. I.

praesentaretur episcopo⁹⁴, ut provisio canonica fieret, adimpletis requisitis canonicis⁹⁵ et regalibus⁹⁶.

Bona «Doctrinae» temporalia constituebantur quatuor novenis, ex media decimorum parte⁹⁷, attingentibus ad minus ad 50.000 teruntiorum per annum, et quarta tributorum parte Commendationis⁹⁸. Insuper Commendatarii reddere tenebantur decimam ex indorum tributis. Ex his solvebantur expensae pro «Doctrina». Doctrinariii ergo, gaudebant magnis redditibus⁹⁹, exempti a quartae partis funeris et salarii episcopo redditione¹⁰⁰. Unde «Doctrina» erat verum officium, iustitia ligans in illam provisum. Adimplendum erat non tantum ex charitate, sed praecipue ex iustitia, quia bonis legaliter distributis sustinebatur. Ex hac causa prohibebatur «Doctrinariius» aliquid exigere ab indis pro religionis servitio¹⁰¹. Non pendebat «Doctrinae» ministerium a religiosi arbitrio¹⁰². Negligens et absens ab officio puniebatur¹⁰³, ita ut ammittere posset officium communitas religiosa Doctrinariii, cum amissione etiam propriae domus, pro paroecia¹⁰⁴.

10. «*Doctrina*» ex commissione et ex facultate. *Mensualitas regia*: Ex dictis constat «Doctrinam» institutam fuisse ut officium. Sed aliquoties tradita est

⁹⁴ Lex XLIX, tit. VI, l. I.

⁹⁵ Lex XXXIV, tit. XV, l. I.

⁹⁶ Lex L, tit. VI, l. I.

⁹⁷ Lex XXIII, tit. XVI, l. I.

⁹⁸ Lex XIV, tit. XIII, l. I. Cf. nt. 24.

⁹⁹ Lex VIII, tit. XIII, l. I.

¹⁰⁰ Leges XV-XVI, tit. VII, l. I.

¹⁰¹ Leges XIII et LXXVIII, tit. XIII, l. I.

¹⁰² Lex XXX, tit. XV, l. I: dari debebat obligationis adimpletae relatio particularis.

¹⁰³ Lex XVI, tit. XV, l. I.

¹⁰⁴ Lex XXVI, tit. XV, l. I.

«Doctrina» vel per commissionem, vel per facultatem. Per commissionem dabatur «Doctrina», donec vacans officium impleretur per novi beneficiarii possessionem¹⁰⁵. Cum facultate exercebatur doctrina, sive ex petitione religiosorum in suis monasteriis degentium, sive ex vocatione a curam animarum habentibus¹⁰⁶, sive ex praecipuo regis desiderio ut doctrina catholica ab omnibus agnosceretur, etsi non fuisset in omnibus locis «Doctrinae officium»¹⁰⁷.

Ex officii vacatione originem sumpsit mensualitas in regis favorem. Computabatur sic: Ingressus beneficii quinque annorum dividebatur per menses et cap-sae regiae mittebatur, per tertiam partem et pro temporis vacationis ratione¹⁰⁸. Mensualitas solvebatur a novo beneficiario post quartum mensem a possessione¹⁰⁹.

Huius mensualitatis solutio obligatoria erat etiam religiosis, sed habita horum remotionis frequentia, ipsis urgebat lex quinquenio¹¹⁰. Ab hac lege excipiebantur elemosynae regiae¹¹¹, et beneficia curata et «Doctrinae» quae non haberent plus quam centum ducatorum aureorum pro annuo reddito¹¹². Beneficia

¹⁰⁵ Sic constat etiam ex clausula omittenda in legislatione posteriori: «*si sacerdos provisus servierit beneficio vel doctrinae cui praesentatur, prius quam habuerit praesentationem, non accipiat stipendium pro servitio ante praesentationem*» (lex XXXV, tit. VI, l. I). Religiosi poterant esse interim doctrinarii, ubi erant clerici (lex II, tit. XIII, l. I).

¹⁰⁶ Lex II, supra.

¹⁰⁷ Cfr. notam 7.

¹⁰⁸ Lex XLI, tit. VII, l. I.

¹⁰⁹ Lex I, tit. XVII, l. I.

¹¹⁰ Lex V, tit. XVII, l. I.

¹¹¹ Lex II, tit. XVII, l. I.

¹¹² Lex I, tit. XVII, l. I. Centum ducatorum aureorum aequivalet 37.500 taruntiorum. Non sufficebat pro annua Doctrinarii pensione, quae erat saltem 50.000 taruntiorum.

curata et «Doctrinae», data forsitan frequenti mutabilitate, obligabantur tantum quinquenio sicut religiosorum doctrina¹¹³.

11. *Appendix de nomocanonibus et de indorum protectione*: Clare patet in huius studii evolutione datas fuisse leges civiles, assumentes leges ecclesiasticas in iure civili obligantes. Mihi videtur illas leges esse velut nomocanones a saeculo quinto usque ad altam aetatem mediam vigentes. Vox nomocanon venit a nomos, graece lege in genere, et a canone, lege classice ecclesiastica. Tunc reges assumpserunt ut obligationem regalem vitae christianae protectionem legibus ecclesiasticis legibus civilibus suffultis et auctoritate regia firmatis. Exempla abundant: Prohibitio indolorum et anthropofagiae¹¹⁴; agere contra falsos dogmatizatores, ex concilii Limensis norma a. 1583¹¹⁵; praeceptum regale Eucharistiae sacramentum indis ministrandi¹¹⁶; etiam per modum viatici¹¹⁷; praeceptum celebrandi missam Sanctissimi Sacramenti omnibus feriis quintis¹¹⁸; indos iubilaeum lucrificare cum sola confessione ex Brevis PII V 28 Aprilis a. 1609¹¹⁹; iuramenti falsi prohibitio¹²⁰; confitendi et communicandi obligatio in mortis periculo sub amissionis poena medietatis omnium bonorum¹²¹; religiosorum doctrinae obligatoria visitatio¹²²; collegiorum

¹¹³ Lex V, tit. XVII, l. I.

¹¹⁴ Lex VII, tit. I, l. I.

¹¹⁵ Lex VIII, tit. I, l. I.

¹¹⁶ Lex XIX, tit. I, l. I.

¹¹⁷ Lex XX, tit. I, l. I.

¹¹⁸ Lex XXI, tit. I, l. I.

¹¹⁹ Lex XXIII, tit. I, l. I.

¹²⁰ Lex XXV, tit. I, l. I.

¹²¹ Lex XXVIII, tit. I, l. I.

¹²² Lex XXVIII, tit. XV, l. I.

et seminariorum fundatio¹²³; divisiones ecclesiasticae ab Indiarum Consilio¹²⁴; mulcta in absentes choro obligatos¹²⁵; decissio regia circa «Doctrinae» translationem ab una religione in aliam¹²⁶; a «Doctrina» absentiae punitio in religiosos et clericos¹²⁷.

Etsi regis mens fuerit institutio catholica, tamen nullo modo oblivioni tradendum est Indiarum leges fuisse naturalibus Americanis contra omne oppressionis genus. Ecce aliqua exempla: Omnes indi debebant esse bene tractati¹²⁸. Bona manductio est exigentia Indiarum Legum¹²⁹. Commendatarii iuramentum facere debebant de bona illorum tractatione¹³⁰. Ex dispositione regali indi protectorem atque defensores habebant¹³¹. Instituti sunt visitatores in indos offendentes¹³². Indorum leges in proprium gubernium servandae erant¹³³. Quilibet abusus sanciebatur officiorum ammissione, et etiam possibilis lucri, praeter multam mille ducatorum¹³⁴.

«Doctrinae» occasione coerceri non poterant indi in debitorum solutionem nec minis, nec incarceratione, nec aliquo simili¹³⁵.

¹²³ Lex I, tit. XXIII, l. I.

¹²⁴ Lex VII, tit. II, l. II.

¹²⁵ Lex XII, tit. XX, l. I.

¹²⁶ Lex XIII, tit. XV, l. I.

¹²⁷ Lex XVI, tit. VII, l. I; lex XVIII, tit. XIII, l. I; lex XVI, tit. XV, l. I.

¹²⁸ Lex IX, tit. II, l. II; lex LXXXIII, tit. XVII, l. II; lex XXXVI, tit. XVIII, l. II; lex XX, tit. X, l. VI.

¹²⁹ Lex XXIII, tit. X, l. VI.

¹³⁰ Lex XXXVII, tit. IX, l. VI.

¹³¹ Lex I, tit. VI, l. VI.

¹³² Lex XXII, tit. X, l. VI.

¹³³ Lex IV, tit. I, l. II.

¹³⁴ Lex LIV, tit. XVI, l. II.

¹³⁵ Lex XVI, tit. I, l. I.

Conclusio: Mihi videtur «Doctrinam» fuisse verum institutum iuridicum, comprehendens omnes aspectus dignitatis humanae. Primo quod apparet est libertatis tuitio, quoad decisionem in fidem: Indi suadendi sunt ad fidem acceptandam¹³⁶. Damnantur media materialia et moralia cogentia voluntatem in «Doctrinam» catholicam amplectendam.

Certe data fuit pressio in pagos efformandos, ut sic dictam politicam seu modum sese comportandi ut cives esse discerent. Attamen varii mores impugnati sunt, qui in dignitatem humanam gradatim impetebant, sicut anthropofagiae mos, homicidium voluntarium ad iter faciendum mortuo indorum principe¹³⁷, filiarum venditio¹³⁸, polygamia¹³⁹.

Aliquod iugum indis supervenit, ex eo quod facti sint membra coronae hispanicae. Tributum voluntarie determinatum est ex mutua concordia inter diversa membra societatis, nempe indos, sacerdotem et Commendatarium¹⁴⁰. Tributum esse poterat in specie vel pecunia¹⁴¹. Ex norma esse debebat decima omnium bonorum¹⁴².

Sed indi non poterant decimas transferre super humeros, nec sub ipsorum responsabilitate sed beneficiariorum¹⁴³. Nec tributa exigere poterant occasione institutionis doctrinalis¹⁴⁴, quae diebus dominicis impertiebatur hora determinata.

¹³⁶ Lex I, tit. IV, l. I.

¹³⁷ Lex XV, tit. VII, l. VI.

¹³⁸ Lex VI, tit. I, l. I.

¹³⁹ Lex IV, tit. I, l. I.

¹⁴⁰ Lex XVI, tit. I, l. I.

¹⁴¹ Lex XXVI, tit. XVI, l. I.

¹⁴² Lex XIX, tit. I, XVI, l. I.

¹⁴³ Lex XXII, tit. XV, l. I; lex XI, tit. XVI, l. I.

¹⁴⁴ Lex XVI, tit. I, l. I.

Doctrinam impediētes vel huius occasione indos persequētes graviter mulctabantur¹⁴⁵.

Ad historiae lucem Americae inventio et huius evangelizatio habet valorem parallelum milevitano edicto. Est factum providentiale in fidem catholicam propagandam. Etsi, ex theoria gallicana vel concessionibus pontificiis, principes hispani apparent fortiter et decisive influentes in evangelizationem, eorum labor nunc emerget ut magnum bonum in Ecclesiae catholicitate.

Ex mala fortuna et incongruentia historica datur crisis circa evangelizationis beneficio, oclusis oculis in bona integralia, quae ex evangelizatione undique prodierunt et culturae catholicae originem dederunt.

Omnia adiuncta et quidquid consociationem humanam evocare potuissent fuerunt occasiones ad «Doctrinam» instituendam. Docebatur non tantum in ecclesiis localibus et paroecialibus sed etiam in Commendationibus, repartitionibus, fabricis textilium et sacchari operibus. Instructio catholica erat praecipuum coronae hispanicae negotium.

In tota legislatione circa «Doctrinam» evocantur Concilium Tridentinum, Regionale Limense anni 1583 et mexicanum anni 1585. Cum reverentia respexit rex haec concilia, quibus fundavit suas leges. In aliquo sensu Hispaniae rex assumpsit Ecclesiae responsabilitatem in Indiarum legislatione.

Ecce, ergo, huius laboris conclusio, quae forte quid modicum inserviat origini vel aliorum laborum evolutioni, ad illuminandam hanc universalis momenti ephemeridem.

N. ESCOBAR, O.A.R.

¹⁴⁵ Lex XIV, tit. I, l. I; leges XV et XVII, ib.